DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

MORBIS EX SPASMO VESICÆ

QVAM

PROPITIO SVMMO NVMINE

SVB PRÆSIDIO

DNI. FRIDERICI HOFFMANN

FACVLTATIS MEDICÆ SENIORIS ET h. t. DECANI

Ad d. Auguſti A. M DCC XXVII.

PRO GRADV DOCTORIS

RITE OBTINENDO

H. L. Q. C.

Solenni eruditorum examini ſiſtet

FRIDERICVS WILHELMVS Hartmann.

REGIOMONTANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis, IO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

VIRO
ILLVSTRI CONSVLTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO
DOMINO
CHRISTIANO GRABE
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO BORVSSIÆ REGI ET ELECTORI BRANDENBVRGICO AB INTIMIS REDITVVM RERVM BELLICARVM ET DOMANIALIVM CONSILIIS
MOECENATI ATQVE PATRONO
SVBMISSA ANIMI DEVENERATIONE ÆTERNVM SVSCIPIENDO

VT ET
VIRO MAGNIFICO AMPLISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
FRIDERICO HOFFMANNO
COMITI PALATINO CÆSAREO CONSILIARIO MEDICO REGIO ET PROFESSORI IN ACADEMIA FRIDERICIANA PRIMARIO SOCIETATIS SCIENTIARVM CÆSAREÆ, REGIÆ BRITANNICÆ ET BORVSSICÆ SODALI
PATRONO AC PROMOTORI OBSERVANTISSIME COLENDO,

NEC

NEC NON

VIRO

PRÆNOBILISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DOMINO

MELCHIORI PHILIPPO

Hartmann

MEDIC. DOCT. ET PROFESS. SECVND. IN ALMA REGIOMONTANA

FRATRI GERMANO DILECTISSIMO

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM EA QVA PAR EST SVBMISSIONE, OBSERVANTIA AC PIETATE SACRAM FACIT.

F. W. Hartmann.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE
MORBIS EX SPASMO VESICÆ.

PROOEMIVM.

QVicunque hiſtorias morborum, quibus variis humanum affligitur genus, apte & exquiſite evolvere easque quoad cauſas & phænomena, ut inde veræ & firmæ medendi rationes & indicationes elici queant, explanare deſiderat, is maxime omnium ſolidis ac firmis hiſce theoreticis principiis & fundamentis demonſtrandi inſtructus eſſe debet. Scilicet totius machinæ microcoſmicæ, ſingularumque ipſius partium mechanico-organicam ſtructuram, functionem atque uſum ex aſſe teneat habeatque perſpecta. Deinde ſanguinis & omnis generis fluidorum, per univerſam vaſculoſam corporis compagem progreſſivum inque orbem

redeuntem motum, & quomodo is pro varietate viſcerum & partium varie modificetur, dirigatur ac determinetur, & diverſis ſecretionibus & excretionibus inſerviat, penitius noſcat & mente comprehendat. Porro ſolidarum, fibroſarum, æque ac muſculoſarum partium, ſyſtalticum & diaſtalticum motum, cuius beneficio fluida corporis noſtri moventur, reguntur, tam in ſtatu ſecundum, quam præter naturam exquiſite calleat & attentius conſideret, qui in vaſis ſanguiferis pulſus vocatur, in canalibus ſecretoriis & excretoriis motus nobis audit periſtalticus, in fibris muſculoſis tonus & robur, in fibris nervoſis motus oſcillatorius; præternaturalis autem in ſyſtemate vaſorum febris, in genere partium fibroſarum ſpaſmus & atonia, & in nervoſarum partium ſyſtemate convulſio & paralyſis appellatur. Denique etiam mutuum illud commercium & ſingularis illa partium nervoſarum in machina animali communicatio, in evolvendis ſymptomatum morboſorum cauſis Medico exacte intelligenda eſt & cognoſcenda. Hæc utique ſunt genuinæ pathologiæ, & quæ ex ea progignitur veræ therapiæ, fundamenta; quæ quum Veteres prorſus latuerint, non mirum eſt, parum ſolidi, firmi ac certi eos in medendi arte præſtitiſſe. Ipſorum enim ſcientia morborum medica tantummodo circa humorum variam intemperiem occupabatur & pro cauſis mere obſcuros terminos allegabant, veram autem ſtructuram & uſum partium & fluidorum circulum ignorabant, de ſolidarum partium vitiis prorſus non erant ſoliciti, & materiæ plus, quam motuum naturam, affectiones & uſum conſiderabant, multo minus partium nervoſo-

mem-

membranacearum functionem, uſum, mutuamque harmoniam & conſenſionem cognoſcebant. Ex quo clariſſime patet, longe nos iam eſſe feliciores & in ſtatuminanda pathologica & therapevtica doctrina longe certioribus & præſtantioribus pollere ſubſidiis, dum non amplius ex obſcuris nihil ſignificantib9 nominibus, & materiæ etiam incognitis qualitatibus & affectionibus, cauſalem rerum medicarum explicationem promimus, ſed ex principiis mechanicis, quæ partium artificioſam ſtructuram, motuumque naturam & leges in corpore humano quæ fiunt, comprehendunt, plana & perſpicua ratione deducimus ac demonſtramus. His itaque ego etiam fundamentis innixus, ſecundum ductum D. PRÆSIDIS morbos illos, qui in veſicam urinariam incidunt, perquirere & apte explicare inpræſentiarum cepi propoſitum. Cui meditationi & labori ut divinum Numen pleniſſime gratia ſua aſſiſtat, eſt quod humillima prece efflagito atque contendo!

§. I.

PRius vero quam de morbis veſicæ & frequentiſſimo ipſius, utut parum hactenus cognito & conſiderato affectu ſpaſmo, a quo tanquam principe reliqui fere omnes originem ſuam trahunt, diſſeramus, non incongruum viſum mihi eſt, anatomicam ipſius veſicæ conſiderationem, ſitum nempe, ſtructuram, connexionem, uſum atque conſenſum cum reliquis partibus, paullo accuratius præmittere, quo cognito naturali huius partis ſtatu, eo melius & facilius in eiusdem morboſa & præternaturali affectione explicanda verſari poſſimus. Veſicæ itaque corpus ex varii generis tunicis & membranis eſt contextum, & nos quidem,

præter duplicaturam peritonæi, ſub qua abſcondita eſt, & quæ proprie non eſt veſicæ membrana, ſed mediante flatu per ſyphonem immiſſo, late ab ipſa divelli & ſeparari poteſt, tres numeramus, primo exteriorem cui globuli & cellulæ pinguedine, parciori tamen & ſubtiliori, repletæ inhæreſcunt, quæ communiter Anatomicis diductio peritonæi habetur, & firmamento atque connexione cum aliis partibus præcipue inſervit. Secunda eſt muſcularis, ſive fibroſa, quæ ex fibris carneis transverſalibus & obliquis conſtat, quæ teneriores & parciores in ipſo corpore veſicæ, copioſiores vero, robuſtiores & in faſciculum collectæ in collo apparent, atque in orbem recurvatæ muſculum ſphincteris, cuius beneficio orificium veſicæ clauditur & aperitur, efformant. Tertia tunicarum eſt nervoſa, alba, compacta, cui exterius inhærent fibræ muſculares, interius vero obducta eſt tunica peculiaris mollior, ceu cruſta, quam alii glanduloſam, quidam villoſam, nos mucoſam appellare volumus, & hæc longe denſior in inferiore circa collum parte conſpicitur.

§. II.

Inter tunicam nervoſam & muſcularem copioſi vaſorum ſanguiferorum, tam arterioſorum, quam venoſorum, ſurculi, variis modis contorti & inflexi diſcurrunt, qui partim ex hypogaſtricis, partim hæmorrhoidalibus externis ſuam petunt originem. Delineavit omnium optime hanc vaſorum veſicæ diſtributionem VESALIVS *lib. III. anatom. cap. IX. pag. 475. interior*, inquiens, *propago* (hypogaſtricæ venæ) *ab interiori ipſius latere exiguas ſoboles ſacri oſſis foraminibus diſpenſat, & alias his maiores in recti inteſtini muſculos cutemque ani digerit, quæ fæculentum ſanguinem hic expurgant. Deinceps hæc interior propago notatu dignum diffundit ramum, qui in viris dextrum veſicæ latus amplectitur, & in plures ſciſſus ſurculos, veſicæ cervicem, ſeu penem*

adit

adit in eumque numeroſe digeritur, ea ſemper ſerie, ut cervici veſicæ craſſiores amplioresque ſurculi, quam ipſius fundo exporrigantur. In mulieribus vero præſens ramus ab interna ductus propagine, pingui membrana ſuffulcitur, ac quibusdam ſurculis veſicam quidem adit, verum frequentioribus inferiorem uteri ſedem intercurrit, ramulos quoque ſpectabiles in uteri cervicem diſpergens. Quum vero rami hæmorrhoidalium externarum, cum internis per anaſtomoſin paſſim iuncti ſint, adeo, ut diſtentis flatu internis, externæ, & inflatis his illæ, diducantur, facile iam apparet ratio, cur vitia motuum ſanguinis hæmorrhoidalis cum ipſa veſica communicationem habeant. Inſtructa vero etiam eſt interior nervea & fibroſa veſicæ tunica, copioſioribus nervorum ſurculis, qui partim proxime ex nervis ſpinalis medullæ in oſſe ſacro, partim etiam ex nervo intercoſtali, cuius principium in cerebro a ſexto pari, ortum trahunt. Ex quo ſimul ingens ille veſicæ cum partibus, ad quas ramus intercoſtalis & ramuli oſſis ſacri abeunt, nervoſis conſenſus patet.

§. III.

Situm obtinet veſica in cavitate pelvis & ſub duplicatura peritonæi tuta hæret, anterius beneficio peritonæi cum oſſibus pubis, poſterius in fœminis cum uteri vagina, in viris cum inteſtino recto, immediate connexa. Alia quidem adhuc circumfertur connexio cum umbilico per arterias umbilicales, quæ quaſi fulcra ne decidat deorſum præbeant; ſed re curatius inſpecta, arteriæ umbilicales ad latera potius veſicæ exporriguntur, eminentior vero per peritonæum quod veſicam ambit communicatio cum umbilico aſſerenda, qua fit, ut in urinæ ſuppreſſione medicamenta umbilico admota eam revocent. Ita autem ſub duplicatura peritonæi latitat, ut aperto iam per ſectionem abdomine, ſi vacua, vix oculos incurrat, præſertim rei anatomicæ imperiti

riti, ſed flatu immiſſo in duplicaturam, in conſpectum prodit & mirum diſtenditur. Figura ipſius eſt oblongo rotunda, pars ſuperior amplior dicitur fundus, inferior magis oblonga & rotundior collum, ſive cervix, & cavitas quam tunicæ efformant, in adultis circiter unam liquidi libram capit, in quibusdam plus.

§. IV.

Peculiares quoque ſunt muſculi, qui ad veſicam eiusque functionem, urinæ vel emiſſionem, vel retentionem pertinent. Scilicet numerantur primo acceleratores, quorum tamen unus tantummodo conſpicuus eſt, qui ortum trahit a ſphinctere ani & ſuperiori parte urethræ muſculari, ab oſſe autem iſchii tendineum habet principium, dumque ſimul circumdat corpus cavernoſum penis, ipſius ope ex urethra humores expelluntur. Accedunt ſecundo transverſales penis ab AQVAPENDENTE inventi, qui tamen ab aliis Anatomicis prioribus annumerantur, & a poſteriore parte oſſis pubis & corporum cavernoſorum aſcendentes, prope muſculos erectores penis & partem ſuperiorem oſſis iſchii inſeruntur, quorum actionem principalem in ampliando urethram & faciliorem materiæ in eandem introitum promovendo, conſiſtere fertur. Tertius eſt depreſſor urinæ, quem autem MORGAGNVS minus invenit, quamvis accuratum & diligens ſæpe inſtituerit ſcrutinium, quo propterea auctore nobisque conſentientibus annumerandus eſt ſoli tunicæ mediæ, quæ, uti iam monitum, totam fere ambit veſicam, quæque mediantibus fibris ſuis conſtrictione gaudentibus, veſicam comprimit & urinam expellit. Circa cervicem demum, ſeu collum veſicæ, occurrit faſciculus fibrarum circularium, qui ſubitaneam urinæ excretionem impedit, vulgo ſphincter veſicæ dictus, extimæque tunicæ ſubiacens.

§. V.

§. V.

Eſt itaque, uti ex allata anatomica deſcriptione patet, veſica pars muſculoſo - nervoſa valde elaſtica, motu & ſenſu exquiſito prædita, cuius fibrarum elaſticarum ea indoles ac ratio, ut eximie poſſint dilatari, & poſt dilatationem, remota eius cauſa, propria iterum virtute concidant ac in priſtinum ſitum & ſtatum ſe reſtituant. Atque etiam virtutis huius elaſticæ beneficio fit, ut urina copia & gravitate ſua ſphincteri veſicæ incumbens, ipſum non ſuperet, aperiat & ſponte ex orificio effluat. Ratione virtutis contractilis autem veſica pollet efficacia expellendi urinam, quæ tamen facultas expultrix læditur, quando poſt diuturnam nimis urinæ detentionem, ob nimiam expanſionem tunica muſculoſa difficulter ad contractionem redit, quo fit, ut excretio urinæ, ſphinctere licet aperto, ſufflaminetur tamen & retineatur. Eſt præterea veſica exquiſitiſſimæ ſenſationis propter tunicam nerveam, quæ ſi a calculo valide atteritur, ab urinæ acrimonia vellicatur, vel a cruore intra vaſa ſanguinea congeſto valde tenditur & comprimitur, acutus oritur dolor. Defenditur tamen ſentiens hæc membrana ab interiori inducta mucoſa, quæ lubricum, ſtagnatione in mucum abeuntem humorem plorat, quo acrimonia urinæ obtunditur, quo minus poſſit noxam inferre. Accretus etiam & quaſi continuatio cervicis veſicæ eſt cylindricus ille canalis, qui urinam evehit & urethræ nomine venit, eiusdem plane membranoſæ, muſculoſæ & nervoſæ cum veſica ſubſtantiæ atque texturæ, tantum quod interior tunica magis glanduloſa & variis lacunis prædita ſit. Tandem perquam notatu digna eſt inſertio uretherum in veſicam, quæ fit in inferiore & humiliore parte, circa latera cervicis. Nimirum perforant hi canales primum exteriorem tunicam, ſub qua oblique poſtea repentes, per muſcularem, ac demum ſub hac, eodem ductu, per nerveam in veſicæ cavum tranſeunt,

eunt, appenſis adhuc eorundem oſculis laxis membranulis, omnia eum in finem, ne impleta veſica urina regurgitet; quo etiam fit ut immiſſus urethræ flatus promte quidem ad veſicam, minus vero ad uretheres penetret eosdemque diſtendat.

§. VI.

Hisce præmiſſis, nunc facilius erit, rationalem morborum qui veſicam infeſtant conſiderationem inire eorumque genuinas cauſas, modum generandi & curandi evolvere. In quo quidem primo omnium commemorandum, quod veſica, ceu pars corporis nervoſo-muſculoſa, frequenter & ex facili obnoxia ſit ſpaſmo, per quem intenſiorem & præternaturalem corporis veſicæ, nec non ſphincteris conſtrictionem, ſive ſtricturam, coarctationem & fibrarum criſpaturam intelligimus, & ex quo poſtea, ceu fonte, plures aliæ morboſæ affectiones & ſymptomata pullulant ac deducuntur. Spaſmus enim, quo non datur ad gignendos morbos & motus præternaturales cauſa valentior & proximior, inprimis omnes illas corporis partes corripit, quæ ex tunicis nerveo-muſculoſis ſunt contextæ & quæ manifeſta gaudent cavitate ac humori vehendo & educendo ſunt deſtinatæ. Teſtatur hoc ſpaſtica ventriculi, œſophagi & totius canalis inteſtinorum, affectio, quæ ſæviſſima illa hypochondriacis & hyſtericis familiaria pathemata gignit, cardialgiam, nauſeam, vomitiones, paſſionem colicam & iliacam convulſivam, atrocia ventris tormina, dolorificas hypochondriorum tenſiones, cum alvo vel dura & adſtricta, vel fluxa nimis & aperta. Ductus qui bilioſum ſuccum ex hepatis viſcere recipiunt ac vehunt ubi ſtringuntur, utplurimum icteritia ſubſequitur, vel humor bilioſus copioſius inteſtinis infunditur & paſſionem cauſatur cholericam. Vreteres ſpaſmo affecti, dolorem acerrimum gignunt in lumbis & urinæ fluxum ſiſtunt, ſimulque ventriculum per conſenſum afficiendo, vomitum

mitum cient. Canalis ille nervoſo-membranaceus, qui ad interiora pulmonum fertur & bronchiorum nomine venit, quando ſpaſtice conſtringitur, ſumma reſpirandi difficultas & anguſtia usque ad ſuffocationis metum præſto eſt. Neque ipſi tubuli arterioſi, præſertim qui ſecretioni humorum inſerviunt in glandulis, ſpaſticæ eiusmodi conſtrictionis expertes, ut potius variæ, graves & præternaturales inde conſequantur variasque partes corripiant affectiones. Haud abſimili ratione etiam ipſum veſicæ corpus, quod ut enumerata organa motu & ſenſu exquiſito gaudet, ſpaſmis ſæpe ſat truculentis obnoxium conſpicitur, ſi quis paullo curatius morbos ipſius & ſymptomata his iuncta perpenderit. Quin adeo frequens eſt hæc præternaturalis veſicæ affectio, ut nullus ferme in ipſa & vicinis partibus morbus ſit, qui non ſpaſmis ſtipetur, vel plane ab ipſis ortum trahat, & ob id merito mirandum, tam raram, vel prorſus nullam, horum in practicis Medicorum & pathologicis ſcriptis occurrere mentionem.

§. VII.

Profecto grave illud tormentum, quod veſicæ inhærens calculus diu ſæpius excitat, cum aſſiduo mingendi ſtimulo & difficillimo ac dolorifico mictu, nonniſi ſpaſmum ceu cauſam arguit. Propter ſpaſticam enim ſtricturam, quæ non modo veſicæ tunicam muſculoſo-nerveam, ſed & eius ſphincterem ipſamque urethram vehementer afficit, doloroſum urinæ fit ſtillicidium & tantus nixus in pube, ut urina vix cohiberi poſſe videatur, quæ tamen, ut primum ſtillare cœpit, mox iterum penitus retinetur. Accedit dolor in toto coli tractu, qui graviſſimus ſæpe glandem duntaxat occupat, ut annotante HILDANO *lib. III. de lithotom. veſ.* & BAGLIVO *opp. pag.* 343. ingens hic doloris, pruritus & continuæ irritationis in glande penis & virgæ extremitate in adultis, æque ac pueris obvius ſenſus, merito inter patho-

 gno-

gnomica calculi ſigna referendus ſit. Iungitur quoque crebrior deſidendi ſtimulus, ſive teneſmus, ob arctam recti cum veſica connexionem nervorumque communionem. Prodit ſub hac dyſuria urina plerumque alba & turbida, cum ſedimento mucoſo, eo quod ipſe ſpaſmus fibrarum muſcularium, forti ſtrictura & compreſſione, ex interiori mucoſa veſicæ tunica copioſius lympham exprimit mucidam, glutinoſam, quæ immixta urinæ, ſedimentum illud quod fundum petit mucidum ſuppeditat. Sæpe vero tenuis aquoſa & minus colorata ſub eiusmodi gravi dolore & ſpaſmo urina emittitur, quia ſpaſmus mutua conſenſione & communicatione etiam ad tubulos renum urinarios penetrat, ut non niſi tenue & aquoſum ex ſanguine per emulgentes adducto tranſmittant. Præterea æger ſub mictu ſæpe graviſſimos patitur dolores, crura bina transverſim complicat, coxas comprimit, caput ad terram inclinat, manuque altera, interdum etiam ambabus, ventrem iuxta pubis regionem quantum poteſt coarctat & ſub eiusmodi dolorifica mictione tremuli interdum & quaſi convulſivi totius corporis motus, ut probe obſervavit VIEVSSEN *in Nevrologia pag.* 203. concitantur. Nam veſicæ nervuli acerrime a quacunque etiam cauſa vellicati & ſpaſmo affecti, eundem tremulum & convulſivum motum per nervos intercoſtales, nervis ſpinalibus communicant & ſic ceteris omnibus partibus inferunt. Obſervamus etiam ſub ſtranguria & vehementi dyſuria, alvum obſerari & flatus cum fæcibus retineri, quæ conquieſcente dolore, promte iterum ſecedunt.

§. VIII.

Conſtat quoque obſervatione, hæc omnia recenſita ſymptomata, & adhuc acerbiora, non tantum a calculo veſicæ, verum etiam a ſanguinis ſtaſi & ſtagnatione intra veſicæ vaſa ſanguifera, quam ſæpius ſequitur gravis inflammatio, fieri. Vulgaris enim error eſt, quo hæc pathemata tantum

tum vel calculo veſicæ, vel urinæ acrimoniæ adſcribunt, cum tamen obſervationes & diſſectiones cadaverum abunde doceant, ægros non modo iisdem ſymptomatibus, quæ calculus in veſica hærens profert, ſed & maioribus fuiſſe affectos cruciatibus, nullo plane poſt mortem invento calculi veſtigio. Notabile aliquod exemplum hic loci habuit D. D. PRAESES in Iuris perito, qui per aliquot annorum ſpatium tam intolerabili cruciatu in pube, cum ſumma difficultate urinam reddendi, diu ſæpius per intervalla afflictus fuit, & propter dolorum atrociam ſummam anxietatem, inquietudinem, vigiliam aſſiduam, virium defectionem, partiumque externarum cum frigore tremorem, ad tantam deſperationem interdum redactus fuit, ut aliquoties cultro vel torminum, vel ipſius vitæ finem procurare voluerit. Affligebat hæc miſeria interdum per aliquot hebdomades, poſtea ſenſim paulatimque remittebat, ut officio ſuo fungi poſſet, urina plerumque pauca & turbida profluebat, craſſum ſedimentum deponens, cumque per ſex fere annos hoc malo excruciatus eſſet, viribus tandem penitus conſumtis, quadrageſimo ætatis anno hecticus obiit. Omnes quos per totam fere civitatem in auxilium vocarat Medici, & calculum, & veſicæ exulcerationem huius miſeræ affectiones cauſam iudicarunt; ſed aliud longe partis affectæ poſt mortem ſcrutinium docuit, veſica quippe integra ſine exulceratione inventa fuit, nec veſtigium ſabuli aut calculi in ea repertum, ipſum vero veſicæ corpus longe craſſius & denſius erat, copioſis & valde amplis ac diſtentis vaſis ſanguiferis, quorum nonnulla calamum ſcriptorum craſſitie æquabant, obſitum. Vt adeo omnium horum cruciatuum nulla alia fuerit cauſa, quam inſolita illa ſtagnatio & incarceratio ſanguinis in vaſis veſicæ. Nam quemadmodum a menſium vel hæmorrhoidum fluxu ſuffaminato, ſanguis regurgitans ad vaſa ventriculi & inteſtinorum, & intra eorum tunicas ſenſibiles

 ſta-

ſtagnans, diſtractione & compreſſione vehementia tormina, anxietates, dolores, convulſiones ac ſpaſmos concitat, ita etiam quando vel ex vitio & emanſione fluxus hæmorrhoidalis, vel aliis ex cauſis, ſanguis ad veſicæ corpus magna copia delatus ibi ſtagnat, non mirum eſt, quod in hac ſenſibili parte, ſpaſmos & quæ ab iis proficiſcuntur ſymptomata producat.

§. IX.

Sæpius etiam fit, ut ſanguis ad veſicam coactus ibidemque firmius impactus acutam paſſionem, inflammationem nempe, excitet, quæ rarius ſanationem recipit, ſed funeſti plerumque eventus eſt, id quod ſequens confirmat hiſtoria. Femina quadraginta circiter annorum, ſanguineæ conſtitutionis vitæque ſedentariæ nimium indulgens, venæſectione alias aſſueta per biennium eam omiſit, quo factum, ut obſtructis menſibus, in ſummos dolores circa pubis regionem incideret, cum ſummis præcordiorum anxietatibus, forti alvi adſtrictione, appetitus & virium deſtructione, ſedatis quodammodo ab imperito Medico hiſce doloribus, mox incidit in ſyncopem, & maiores & vehementiores circa præcordia urgebant anxietates, ſubſequebatur delirium & mors. Inſpecto poſt mortem corpore, & veſicam & uterum inflammatio ac ſphacelus occuparant, ceteris omnibus partibus ſalvis & integris. Nullum enim dubium eſt, quin ſanguis nimium redundans ob venæſectionem intermiſſam, cum ſuetum ex utero non inveniret exitum, ad vicinum veſicæ viſcus delapſus, graviſſimum hunc affectum excitarit. Simili modo a ſuppreſſo hæmorrhoidali fluxu nonnunquam fit mictus cruentus, quo cohibito, dolor, ſpaſmus & inflammatio veſicam infeſtant, quod confirmare placet ſequenti hiſtoria. Vir quadrageſimum ætatis annum agens, ſanguineo-cholericus, ex vitæ genere valde inquieto tranſiens ad quietum vitamque ſedentariam, patitur brevi poſt

hæmor-

hæmorrhoidalem fluxum, quem præpoſtere remediis adhibitis ſupprimi curavit, ſequuta hinc mictio cruenta, ſingulis fere menſibus rediens; qua ceſſante, anxietates premebant præcordia, dolores lumbarem regionem, borborygmi ventrem, prava digeſtio & inappetentia ſtomachum. Variis ad hæc mala tollenda utebatur remediis, thermis, lactis cura, ſed non cum debito regimine, accedebat poſtea funeſta veſicæ inflammatio, quæ apparebat ex magno ardore, dolore in regione pubis, mictu difficili & dolorifico, febre, præcordiorum anxietate & delirio, ac poſt mortem veſica inflammata & ſphacelata inventa fuit.

§. X.

Atrox eiusmodi ſpaſmus, qui demum funeſtam progignit inflammationem, interdum quoque a menſium plenario defectu & poſt quinquageſimum annum emanſione in feminis plethoricis ortum ducit, uti quidem ex hac abunde pateſcit hiſtoria: obſervavit ſcilicet B. Parens meus & in *M. N. C. Dec. I. A. IX. pag* 239. narrat: matronam annorum ſexaginta, per viginti annos viduam, diuturno moerore confectam, vitam egiſſe ſedentariam, ſolitudinem quæſiviſſe, lacrymis & gemitibus ſe ſubinde fatigaſſe, colicos quoque percepiſſe dolores, qui ad os ſacrum pertigerint, ſtranguriam poſtea acceſſiſſe & calculos piſorum magnitudine cum ſabulo prodiiſſe, ipſam trimeſtri ante obitum ſpatio viribus conſpectius fatiſcere cœpiſſe, appetitum perdidiſſe, ſtranguriæ cruciatus intenſiores perſenſiſſe, acceſſiſſe teneſmum & mictum intolerabilibus doloribus ſtipatum, mortemque tandem viribus exhauſtis miſeriæ feciſſe finem, inventa poſt mortem tota veſicæ & urethræ tunica nigredine obducta & eroſa. Nam qui morbis veſicæ moriuntur, inflammatione & ſphacelo, ob ſanguinis in vaſis pertinacem & fixiorem ſtaſin, vaſa minima nimium diſtendentem, pereunt, ita plerumque, ut hæc inflammatio non modo veſi-

cam,

cam, ſed & rectum inteſtinum afficiat, ubi ſimul hæmorrhoidalia vaſa ſanguine nigro infarcta, cum penis livore & venæ cervicis ſanguine admodum diſtentæ & varicoſæ comparent, fidem faciente BONETO *pag.* 673. *Obſervat.* 22. *& pag.* 664. Verum non modo ſanguinis ſinceri & puri, ſed multo magis impuri & ſcorbuticis ſalibus referti, firmior in veſica ſtaſis, funeſtam eiusmodi inflammationem inducere valet, eamque in rem ſequens caſus, qui exſtat in *M. N. C. Dec. II. An. VII. obſ.* 143. notabilis eſt. Erat quidam ſanguineo-cholericæ conſtitutionis a iuventute ſtranguria affictus, qui increſcente ætate commiſſisque in diæta erroribus, frequenti ac dolorifico paucæ & pallidæ urinæ ſingulis fere, vel vix dimidiis, horæ quadrantibus urgebatur mictu, unacum teneſmo. Hoc malum poſteaquam ultra annum & dimidium fruſtra omnibus datis duraſſet, octo ante obitum hebdomadibus acceſſit in urina reddenda impedimentum, brevi tamen iterum ceſſans, intumeſcebant & dolebant pedes erumpebantque paſſim in dorſo & pedibus puſtulæ, cum ardore, ſubſequente ſpontanea ruptura, exulceratione tandemque leviori quaſi gangræna. Mature quidem topicis hæc abigebantur, in regione pubis autem intenſiſſimus ſequebatur dolor, tam incredibilis, ut æger eiularet, mens alienaretur, paralyſi latus ſiniſtrum afficeretur tandemque motibus convulſivis ipſa mors accederet. Exemta poſt mortem veſica interius tota nigricans conſpiciebatur & ſphacelata, ſine ullo tam ſabulo, quam calculo.

§. XI.

Eſt vero unica funeſtæ eiusmodi inflammationis cauſa, eaque principalis, validus veſicæ ſpaſmus, qui, quo validior eſt, eo vehementius ſanguinis ſtaſin & incarcerationem in vaſis auget & reſolutionem eius ac diſcuſſionem impedit, ut tandem vel in abſceſſum & ulcus transeat & chronicum fiat malum, vel in ſphacelum brevi tempore perimentem concedat.

cedat. Et profecto vehemens ille veſicæ ſpaſmus, qui præſente inflammatione augetur, cauſa eſt plurimorum gravium illorum ſymptomatum, inflammationem veſicæ ſtipantium, quæ inter, teſte AETIO & ORIBASIO, referenda potiſſimum continua febris, magnus æſtus, dolor ardor ac tumor infra perinæum & ſupra pecten atque pubem, urinæ ægerrima & cum magno conatu & dolorifico eiulatu guttatim facta emiſſio, frequens deſidendi ſtimulus, quibus demum accedunt bilis vomitus, dolor capitis, ſitis, difficilis anhelitus, faciei cum oculis rubor, lingua ardens cum nigritie, immodica vigilia, delirium, inquietudo, extremorum frigus ipſaque mors. Dignus memoratu eſt de funeſto morborum veſicæ eventu HIPPOCRATIS locus *libr. prænotion. pag.* 464. ita habens: *Veſicæ duræ & dolentes penitus quidem horrendæ & pernicioſæ ſunt, pernicioſiſſimæ vero quæ cum febri continua fiunt. Etenim dolores* (qui utique ſpaſmorum effectus ſunt) *ab ipſis veſicis ad occidendum ſufficiunt, & alvi non egerunt hoc tempore, niſi durum quoddam & hoc coactæ. Solvit autem urina purulenta micta, quæ albam ac levem ſubſidentiam habet. Si vero neque ab urina quicquam remiſerit dolor, neque veſica molliatur, & febris continua fuerit, in primis circuitibus morbi ægrum moriturum eſſe timor eſt.*

§. XII.

Sunt certe hæc quæ veſicæ inflammationem comitantur inque variis corporis partibus conſpiciuntur ſymptomata graviſſima; omnia tamen paulo curatius conſiderata, vix aliam cauſam, quam vehementem ſpaſmum, qui in veſica, ceu parte affecta, incipit & per univerſum nervoſarum partium genus inde propagatur, agnoſcunt. Nam quando fortiſſima ſtrictura & criſpatura fibras vicinarum partium, inteſtini videlicet recti & ſphincteris ani prehendit, vel aſſiduum deſidendi calcar, vel adeo impen-

ſa adeſt ani conſtrictio, ut nec flatus, nec fæces transmittat, neque etiam clyſterem admittat. Quumque ſolenniter validior ſpaſmus partem cui diutius inſedit debilitet demum & in ea relaxationem relinquat, fit, ut ani etiam procidentia, præſertim in ſenibus & infantibus, conſequatur. Quandocunque veſicæ gravior ſpaſmus ad ſuperiora porrigitur, & quidem ad inteſtina, borborygmos & tormina cauſatur, & ubi ad ventriculum pergit, inappetentia, mala digeſtio & vomitus fiunt, de quo conſenſu veſicæ cum ventriculo præclara ſunt quæ habet CELSVS *libr. VII. cap.* 27 *pag.* 486. *non ignoramus*, inquiens, *orto veſicæ ulcere, ſæpe affici ſtomachum, cui cum veſica quoddam conſortium eſt, exque eo fit, ut neque retineatur cibus, neque ſi quis contentus eſt, concoquatur, neque corpus alatur.* Idem porro ſpaſmus veſicæ ſub inflammatione quum muſculum diaphragmatis & nervos tunicasque nervoſas pulmonum ac bronchiorum afficit, ægra & difficilis cum anxietate præcordiorum emergit ſpiratio: ad cordis vero muſculos & tunicas arteriarum muſculoſo-nerveas delatus, duriores, contractos & celeriores efficit pulſuum ictus, cum febre continua & ſiti inexhauſta, quæ itidem ſpaſticæ ſtricturæ mollium & glanduloſarum in lingua & faucibus partium debetur. Maioris vero periculi eſt, ſi ad membranas cerebri & nervorum principia pertingit; tunc enim aſſiduæ vigiliæ, mentis alienatio, convulſiones, extremorum frigus ac horror, inæqualis & intermittens pulſus, mortem ſignificant imminentem.

§. XIII.

Quamvis vero gravia & ſæpius lethalia ſymptomata ſint, quæ ex inflammatoria ſanguinis, ſive ſinceri & puri, ſive impuri ſtaſi in veſicæ vaſculis ſuboriuntur: nihilominus tamen mitiora minusque funeſta ſunt illa veſicæ vitia, quæ a ſero ſalſo, impuro, corrupto veſicæ tunicis

fir-

firmius inhæreſcente easque lancinante ſubnaſcuntur, cuius generis ſunt illi dolores cum valde difficili & guttatim ſuccedente mictu. Paſſim eiusmodi pathematum in obſervatis Medicorum fit mentio, inprimis tamen memoratu dignus DRAWITZIVS, qui iam ante ſeculum omnium fere optime, germanico idiomate *de ſcorbuto* integrum ſcripſit tractatum, in quo *pag.* 350. *& ſeqq.* plures affert obſervationes & caſus ægrorum, qui de doloribus ſævis ſub urinæ emiſſione conqueſti, quorum cauſa non veſicæ labes ulla aut calculus fuit, ſed humor tantum impurus ſcorbuticus, e quibus memorabilis maxime quem conſignavit de lanione, qui quum nunquam antea ex calculo laboraſſet, ſubito atroces in pedibus perſenſit dolores, qui hinc depulſi, urethram invaſerunt, cum intenſo ardore & difficultate guttatim vix mingendi, applicatis tamen diſcutientibus ceſſarunt quidem, ſed ad pedes redierunt, conſequente eorundem tumore. Idem fere non ita pridem in ſene octogenario D. PRÆSES annotavit, qui per aliquot annos ſumma difficultate & dolore mittendi urinam laborarat, ac demum fruſtra adhibita omni efficaciſſima medicina, in pede nactus eſt eryſipelas, quod reliquit ulcus ichorem ſanioſum ſat copioſe quotidie fundens, tam ſalubri effectu, ut ex eo & dyſuria, & dolor in pube omnis evanuerit.

§. XIV.

Neque minus multoties D. PRÆSES obſervavit in ſenibus, veſicæ vitia, maximeque dyſuriam, tum ob vitam ſedentariam, tum ob dycraſiam humorum ſcorbuticam, quæ in hac ætate fere perpetua eſt, inprimis tamen quod ceſſantibus rhevmaticis, arthriticis & podagricis doloribus, difficilis accedere ſoleat mictus, qui repetentibus priſtinis doloribus, ſponte diſcedit iterum. Crebrioris quoque obſervationis eſt, ſcorbuticos, quibus purpura

chronica noſtro iam tempore admodum ſolennis, hac, ob refrigerationem corporis, vel alias cauſas, ut venæſectionem crebrius inſtitutam, retrocedente, vel intus remanente, experiri ingentem mingendi difficultatem cum præcordiorum anxietate, inquietudine, vigilia & interno æſtu, quæ expulſa rurſus ad ſuperficiem corporis purpura, diſparent iterum ac evaneſcunt. Confirmatum hoc habemus luctuoſiſſimo ſummi Theologi exemplo, qui vita ſedentaria perpetuaque mentis per ardua multa negotia fatigatione, a purpura intus deliteſcente ſcorbutica in gravem primum per intervalla dyſuriam incidit, iuncta ſimul paralyſi ſpuria dextræ manus, quæ quamdiu perſtitit, remiſſior fuit dyſuria, illa vero evaneſcente, atrocior veſicæ ſpaſmus & dolor cum aſſiduo urinam mittendi ſtimulo illico rediit. Tandem cum ſanitate quidem in gratiam redire videbatur, ſed quum forte languidum adhuc corpus auræ frigidiori expoſuiſſet, redierunt intoleranda mictus tormina, quæ veſicæ inflammatio, ex parte exulceratio febrisque acuta exanthematica exceperunt, funeſto proh! eventu.

§. XV.

Hiſce quoad cauſas quæ ſpaſmum veſicæ cient, expoſitis; ratio porro reddenda peculiaris iſtius phænomeni, cur ſymptomata, uti difficilis & dolorifica mictio & quæ ipſi iuncta ſunt mala, cauſa materiali, ut calculo, vel dyſcraſia ſcorbutica, perpetuo præſente, per intervalla tantum infeſtent & tantopere affligant? Ita vero hoc explicandum videtur: omnes atroces in parte nervoſa ſenſibili dolores, paulo diutius obhærentes, inducunt demum & relinquunt in ea quam tenuerunt ſede debilitatem & atoniam, qua præſente, dolores quidem non amplius percipiuntur, ſed propter ipſam hanc imbecillitatem, ibi de novo ſucceſſive ſuccreſcentes in corpore im-

puri

puri humores colliguntur, ſtagnant & ſubſiſtunt novaque ad reſuſcitandos paroxyſmos gignitur & concervatur materia. Debilitas enim, teſte CELSO, omnibus morbis opportuna, ideoque inſtar univerſalis pathologici canonis tenendum: languidas a prægreſſa morbi violentia partes, quam facile recipere morbificum humorem, qui ſenſim congeſtus, vel ſponte, vel a levi cauſa exagitatus, novum adducit inſultum, & hinc merito periodicorum affectuum origo repetenda.

§. XVI.

Pluries obſervavimus, calculum in veſica exiſtentem per certa tantum intervalla multa incommoda, ut mingendi crebrum & difficilem conatum, cum ardore & dolore, ventris torminibus, extremorum frigore & virium languore excitaſſe, idque maxime ventis ex borea flantibus, vel ſi inflantes cibi aut cereviſiæ minus defæcatæ ſumtæ, aut inſolita animi commotio præceſſit, aut corporis partes extremæ nimium refrigeratæ, vel etiam ſanguinis conſueta miſſio diutius omiſſa, hanc procul dubio ob rationem: quod hæc omnia eius naturæ ac indolis, ut partim excretiones ſalutares ſupprimendo, partim etiam copiam humoris impuri augendo, eum ad veſicam tanquam partem debiliorem propellendo, movendis & revocandis novis inſultibus occaſionem præbeant. Crebrioris quoque obſervationis eſt, colicas flatulentas iunctas eſſe veſicæ vitio, præſertim ardenti & dolorificæ mictioni, & omnia alimenta, quæ inflant, hoc quoque exacerbare, & carminativa contra, ſive flatus diſcutientia, optimo eſſe præſidio. Non inconveniens mihi videtur hoc aſſertum ſequenti confirmare hiſtoria. Ante aliquot annos Regiomonti nobilis centurio de doloribus in regione pubis graviter eum affligentibus & mingendi difficultate conquerebatur & metuebat exinde calculum, quem etiam cathetere explorare aliquoties patie-

batur, aſt nec ullum calculi, nec ſabuli aderat veſtigium; ceſſabant interdum cruciatus, ſimulac vero frigori ſeſe paulo incautius exponebat, aut cibo vel potu flatulento utebatur, mox recrudeſcebant intenſiſſimi. Tandem Medicus hæc perſpiciens, propinare coepit medicamenta flatus diſcutientia, cum diaphoreticis combinata, & exterius quoque carminativa applicare, quibus auxiliis brevi æger reſtitutus eſt. Nam quando inteſtina flatibus ſunt diſtenta, liber ſanguinis & humorum circuitus, ob vaſa ſanguinea compreſſa, intercipitur & ſufflaminatur, unde fiunt decubitus, ſtagnationes humorum & partium nervoſarum vehementes irritationes.

§. XVII.

Ad veſicæ morbos & vitia referri etiam merito debet cruenta mictio, quæ tamen non omnis, ut vulgi Medicorum fert opinio, ex renibus & vaſis emulgentibus fit, ſed ſæpius proxime & immediate ex veſicæ vaſis ſanguiferis, præſertim ramis venæ hæmorrhoidalis externæ perruptis, ſuccedit. Cognoſcitur ſanguinolentus eiusmodi ex veſicæ vaſis mictus, quando difficultas mingendi coniuncta, ardor cum teneſmo circa anum, ſpaſmus circa glandem & dolor pungitivus a glande ad perinæum affligit, cum rigida penis tenſione, nec non ubi ſimul adſunt borborygmi & flatulentiæ in abdomine, inappetentia, ructus quoque frequentes iunguntur; item ſi mictio cruenta & ſtipantia ipſam ſymptomata poſt ſanguinis miſſionem in pede, poſt hirudinum applicationem in ano, remittunt & ceſſant. Et quamvis eiusmodi ſpecies mictionis cruentæ ex veſica non adeo familiaris ſit & frequens, annotata tamen nonnunquam fuit, & proſtat obſervatio in HOECHSTETTERO *Decur. I. ſcholi. in caſ.* 2. *Miſcell. Natur. curioſ. Decad. I. ann. IIX. obſerv.* 23. nec non *in Medicina Conſultat.* D. PRÆSIDIS *Tom. I. decuria. I. caſ. IX. pag* 42. Mingitur interdum ſanguis ſincerus

cerus unacum urina, vel loco huius urina bruni coloris, inſtar coffee, ut vidimus in ſene octogenario quotiescunque equo vectus fuerat, & frigefacta urina ſedimentum ponebat denſum, rubicundum. Graviſſima vero quoque incidere ſolent ſanguine intra veſicam concreto ſymptomata, quæ recenſet LOMMIVS *in obſervat. pag.* 195. crebro anima deficit, ægra fit ſpiratio & pulſus obſcurus, parvus & frequens, oritur multa nauſea, animi anxietas & frigidus ſudor, hinc totus homo fit imbecillis & pallet & extremis partibus refrigeſcit, quæ quidem omnia vehementi ſpaſticæ ſtricturæ, quæ per totum ſyſtema nervorum propagatur, recte adſcribenda. Fiunt tamen etiam a ſanguine in veſica condenſato maximi cruciatus & ardores vehementes in ima pube & circa virgam, qui referente *obſervat.* iam *citata Miſcellan. Natur. curioſor.* in momento quaſi evanuerunt, poſtquam æger magnos & oblongos ſanguinis grumos, inſtar hepatis lucii piſcis, mingendo reiecerat. Sed de curatione huius mictionis cruentæ, quæ naſcitur ex veſica affecta, recte iudicat LOMMIVS *l. c.* quod tardius curetur, quam illa quæ a ſuperioribus locis proficiſcitur.

§. XVII!

Neque etiam prætereundum, quod veſicæ ſpaſmus, qui ſtranguriam & dyſuriam parit, ab urina etiam, præſertim in ſenibus, ſcorbuticis & cacochymicis, valde ſalſa, acribus, tartareis ſalino-ſulphureis & limoſis excrementitiis partibus referta, naſcatur. Tam ſalſa enim quandoque deprehenditur urina, ut linguam arrodat & ex urethra ſtillans vicinas partes excoriet, quæ utique diutius in veſica ſtagnans, vellicando fibras nerveas, ſphincterem claudit, urethram anguſtat & lancinatione & arroſione tunicarum ingentes dolores parit. Si vero in urina cum dolore excreta moleculæ furfuraceæ & exilia ac copioſa filamenta apparent atque ſubſident, veteres affectum veſicæ ſcabiem appellarunt, quia mucidam & villoſam tunicam arroſam arguunt. Quando miaſma luis venereæ, quod eroſionem cum putre-

dine

dine ſolidis inferre ſolet partibus, veſicam etiam aggreditur, mingitur furfuracea talis urina & veſicæ ſcabies, immo & exulceratio, præſertim circa cervicem, frequentius accedit. Atque hinc eſt, quod gonorrhoea virulenta laborantes, urinam ſæpius turbidam & quæ multum viſcidi & ſanioſi ponit ſedimenti, reddant.

§. XIX.

Diximus ſuperius, quod quidem calculus in veſica contentus occaſionem ſæpius præbeat ad vehementes & dolorificos cum dyſuria junctos ſpaſmos, per intervalla infeſtantes; monendum tamen & illud eſt: quod ſpaſmi veſicæ, etiam aliis ex cauſis proficiſcentes, ad ipſius calculi in veſica generationem & concretionem primam originem & fundamentum frequentius ſuppeditent. Contingit hoc quam maxime in ſenibus plethoricis, vitæ ſedentariæ addictis & qui ob perſpirationem languidiorem urinam ordinario valde tinctam & ſcoriis tartareis limoſis ſaturatam mingunt. Nam ob ſpaſmum dyſuria fit, & liquor urinoſus dum paulo diutius retinetur, mora deponit tenacem glutinoſam materiam, quæ ſalibus tartareis involuta, utique principium ad ſucceſſivam concretionem calculoſam ſuggerit, niſi congruis medicamentis mucus ille cum primis calculi rudimentis opportune ſubducatur & urinæ, ſublato ſpaſmo, liber paretur exitus.

§. XX.

Vidimus itaque quot & quales morbi ex ſpaſmo veſicæ oriantur; jam brevibus etiam via ac methodus ſubiungenda, qua commode oriunda ex hac cauſa mala & arceri & percurari queant. Quod ſi igitur ex nimia ſanguinis plenitudine, præſertim in ſenibus & vitæ ſedentariæ nimium indulgentibus, vel etiam ex menſium, vel hæmorrhoidum fluxu ceſſante, aut impedito, morbi veſicæ ex ſpaſmo imminent, ſanguinem minuere, ſive per venæſectionem, ſive per ſcarificationem, ſive per hirudinum applicationem, omnino expedit; hoc tamen cum diſcrimine, ut præſervatorio ſcopo vena ſecetur in pede, ubi vero vaſa veſicæ nimium ſanguine infarcta, nec is per hæmorrhoides, nec uterum elabitur, ſed ſubſiſtens ibi ſpaſmos, dolores & incommoda procreat, conſultius eſt, ſi hirudinum etiam applicatio non

pro-

proficit, venam non in talo, ſed in brachio, revulſionis gratia pertundere & ſufficientem corporis motum talemque victus rationem præſcribere, quæ ad minuendam ſanguinis copiam & ad liberum & æqualem ipſius ad ſuperficiem corporis tendentem motum promovendum confert.

§. XXI.

Quum impuritas ſeri ſalſa ſcorbutica eiuſmodi veſicæ minatur vitia, certe potus acidularum, quæ temperatæ ſunt, quæ leves, ſale plurimo ſcatent alcalino & terræ gravis tartareæ ſunt expertes, uti maxime Spadanæ & Selteranæ, quæ apprime & pectoris, & veſicæ, & renum labi opitulantur, ob longum uſum ac certam experientiam aliis longe ſuperior plurimumque commendandus, atque his præcipue convenit, qui purpura ſcorbutica laborant, cuius materies frequentior morborum in veſica cauſa. In victu vero ab omnibus alimentis ſalſis, acidis, acribus, viſcoſis, glutinoſis, lacticiniis, inflantibus, vinis & cereviſiis quæ acidum recondunt, abſtinendum, & præſtat potui dare decoctum radicum graminis, foeniculi, ſcorzoneræ, glycyrrhizæ.

§. XXII.

Vbi porro iam paſſio ſpaſtica cum ingenti cruciatu & mingendi difficultate urget, nihil præſtantius D. PRÆSES clyſteribus emollientibus oleoſis, balneis, ſemicupiis, crebriori deprehendit experientia, & idem quoque paſſim obſervata Medicorum confirmant, mereturque hanc in rem legi elegans obſervatio DRAWITZII in libro de *ſcorbutico malo pag.* 153. Sunt quoque in paroxyſmo ex uſu vapores ex floribus emollientibus & anodynis, ut ſunt flores chamomillæ vulgaris, meliloti, ſambuci, malvæ, verbaſci, millefolii in lacte decoctis, debito modo admiſſi ad partem affectam, quippe qui leniendo & mulcendo, ſpaſmos & dolores egregie complacant. Interne vero liquor anodynus D. PRÆSIDIS mineralis, ſive ſolus, ſive cum carminativis mixtus, nec non pulveres antiſpaſmodici, ex pulvere Marchionis, ſpecifico cephalico Michaelis, nitro purificato, addito pauxillo croci & caſtorei, cum emulſione ſeminum quatuor frigidorum maiorum propinati, reliquis certe omnibus palmam præripiunt. Et eadem hæc remedia, etiamſi inflammatio imminet & febris adeſt, locum habere poſſunt, modo doſis nitri adaugeatur.

§. XXIII.

Quando denique ex rhevmatica quadam partium externarum fluxione retrocedente ad interiora, veſica morbum patitur, vidimus fonticulos brachiis inuſtos fructum non poenitendum præſtitiſſe. Præſente autem iam in veſica, a quavis etiam cauſa, exulceratione, maximopere a diureticis acribus, nec non a thermis Carolinis penitus abſtinendum ſuademus, & tum potius decocta & infuſa ex herbis vulnerariis, virga ſcilicet aurea, veronica, alchimilla, ſummitatibus hyperici, millefolii, radice caryophyllatæ, althææ, glycyrrhizæ, ficubus ex uſu ſunt. Neque minus laudata virtus externorum, quæ ſtagnationem humorum impediunt roborantium, ad præſervationem maxime, quando per intervalla mala & cruciatus impetunt. Hunc itaque in finem externe veſicæ regioni ſacculi ex mentha, meliſſa, foliis myrthi, lauri, floribus roſarum, chamomillæ, in vino rubro decocti, crebrius commode applicari poſſunt.

FINIS.

Die Aertzte müſſen nicht Gedult und Mühe ſpahren
Soll anders ihre Kunſt berühmt und glücklich ſeyn,
Sie haben Tag und Nacht das Klagen zu erfahren
Und trifft nicht allemahl die Cur nach Wunſche ein.
Indeß **Geehrter Freund!** Du weiſt Dich HART zu ſtellen,
So oft aus Ungedult der Krancke murrt und klagt
Zeigſt aber wie ein MANN in den verwirrtſten Fällen,
Daß Deine Artzeney, nicht leicht die Hülff verſagt.

D. A. Hannke.
Coneco-Boruſ. Med. Cult.